







1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.



1724.

1. Albinus, Jo. Mauricus: De jure pauperum in foro Saxo-  
nico.
2. Böhndel, Geth. Christianus: De morte venandi vulgo  
dicto Klapper-Fagd.
3. Böhndel, Geth. Christianus: De privilegio Ferdinandi  
ad medietas utriusque Silesiae vasallos non ante-  
venit.
4. Böhndel, Geth. Christianus: De affectu oblationis ad ju-  
vandam mortuos ante praestantiam offerendi
5. Böhndel, Geth. Christianus: Recensio observationum  
forensium varii argumenti. . . Disputationes pu-  
blice factas.
6. Berger, Christoph. Henr. De: Praelectio ac ordinis  
juraconsultorum. . . Decursus ad Dissertationem  
solennem Candidati Juris Frederici Wendt  
. . . in festo
7. Berger, Christoph. Henr. De: De jure ordinum  
imperii territoriali circa opera subferenda
8. Hanaccius, Christianus: Disputatio juridica,  
qua in festo pontificis contra Communitatem



sententiam assertam . . . habitus

9<sup>at</sup>  
2 Hamaecius, Christianus: De arte alieno studio  
suum vulgo vni Schult. u. Credit. Wozes des Statu  
1/2 2 exempl.

10. Fenus, James Guilielmus, Rector: Cives academici  
ad natalem Romani rite celebrandum invitati

11. Hammarickius, Victorius Normanus: Oratio Fore-  
Consulorum . . . Decanus: Lectori benedico

s. p. d: (ad Dissertationem solennem  
Hieronymi Nicolai Gercken invitati)

12<sup>at</sup>  
2 Hammarickius, Vict. Norm: De Augustissimi  
imperatoris . . . jure circa Constabularium  
pontificis Romani commentatus per  
modum programmatum invitatorum et dis-  
putationum in ang. Behrdrithianum publicum  
Luci expedita. 2 exempl. 1724: 1740.

13<sup>a</sup> Kemmerich,

13<sup>b</sup> Kemmerich, Wel. Horn, Ord. juridic. . . . Decano ?

Ad reputationem inang. Franc. Nicol. Brelis iuri-  
lat.

14. Kemmerich, Wel. Horn: Ordini juridic. . . . Decano ?

Ad reputationem solemnem Fr. Hieronymi Valke. . .  
iurist.

15. Kemmerich, Wel. Horn: Ordini juridic. h. f. Decano:

Ad reputationem solemnem . . . Christian. Gotthelmi  
Preppelmanni . . . iurist.

16. Kemmerichius, Vichersu Hermannus: Execrantes

juridica, que capita quaedam iudicii  
percontantur ex lege diffamari illustren-  
tur.

17. Kesselius, Gotth. Arnold: Dissertationes publi-  
cas in . . . In. Joanni Henrici . . . Domini

de Berger positiones juris e Lenderbachii  
Compendio selectas et in 24 exercitationes  
redactas intinuit.

18. Kueselius, Gotfr. Reinoldus: Dissertatio juridica, quae  
solum citationem exhibitam legitime factam ad  
credendum iustorum proceloriorum sufficere —  
publice defendit.
19. Kueselius, Gotfr. Reinoldus: Dissertatio juridica,  
quae laetum eamque particularem emancipatorium  
iure domesticos fundatum — — publici esset  
aliquo defendit.
20. Krausius, Johanes Gotfridus: De eo, quod iustum  
est circa praesentem facti imperium iure  
Saxoniae.
21. Krausius, Joh. Gotfr. : De eo, quod iustum est circa  
probationem per testes domesticos.
22. Krausius, Joh. Gotfr. : De eo, quod iustum est circa  
praedia deserta in Saxonia.
23. Krausius, Joh. Gotfridus: De eo, quod iustum est  
circa tutelam maternam tam de iure communi  
quam iure Germanico atque Saxoniae.
24. Krausius, Joh. Gotfr. : De eo, quod iustum est circa  
permutationes iuncturae possessorum.



6928.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

1724

# MODO VENANDI

VULGO DICTO

**Blapper = Jagd**

PRAESIDE

GEBHARDO CHRISTIANO  
BASTINELLERO ICTO

SAC. REG. MAI. POL. AC PRINC. ELECT. SAXON.  
A CONSIL. AVLAE ATQVE IN CVRIA PROVINC. ET  
CONSISTORIO ECCLES. ELECTOR. SAXON. DIGESTI VET. PROF. PVBL.  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRID.

ASSESSORE

## PRO LICENTIA

*SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES*

*RITE CAPESSENDI*

IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA  
EIVSQVE AVDITORIO MAIORI

D. XXII. SEPT. A. C. c15 Idcccxxiv.

*HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS*

*PVBLICE DEFENSA*

A

IOANNE NICOLAO BIEL

SCHWARTZBURG. THVRING.

VITTEMBERGÆ

LITERIS GODOFREDI GÄBERDTL.

151  
2.16



DISPUTATIO IN ACADEMIA

DE

# MODO VENIENDI

VULGO DICTO

## Knuppel = Knuppel

PRO

GERHARDO CHRISTIANO  
BASTIENNERO

REG. MAG. AC. THEOL. SACR. SACR. SACR.

AC. THEOL. SACR. SACR. SACR.

## PRO LICENTIA

IN ACADEMIA

IN ACADEMIA

IN ACADEMIA

IN ACADEMIA

IN ACADEMIA

## IOHANNI NICOLAO BIL

IN ACADEMIA

IN ACADEMIA





DISSERTATIO IURIDICA INAUGVRALIS

DE

MODO VENANDI

VVLGO DICTO

Klapper- Jagd.

§. I.



Vm *Venationis* uox anceps et aequiuoca sit, a proposito nostro haud alienum uidetur, si de uersa eius significatione pauca praemittimus. Certo autem certius est, Venationis notionem uel *proprie*, uel *improprie*, accipi posse. *Improprie* accipitur (I)

pro *praedatoria hominum oppressione*, quando nimirum homines per uolentiam et tyrannidem opprimuntur ac trucidantur. Pertinent huc imprimis loca Sacrae Scripturae PsALM. XCI. 3. JEREM. XVI. 16. THREN. III. 52. MICH. VII. 2. et primi, qui eam uenationem exercuerunt, fuere Cain fratricida et Nimrodus. Posterior sane ob libidinem imperii per uim armatam propagandi robustus uenator coram Domino uocatur GEN. X. 9. id est hominum, quos ad turrin extruendam allegerat, oppressor et extingtor *can. 3. in fin.*

A 2

dis.

## DE MODO VENANDI

4

*dist. 6. (II.) pro arenaria, (a) seu histrionica, cum bestiis decertatione, quae olim apud Romanos inter alia spectacula populo exhibita, in amphitheatris, arena stratis, inter hominem et bestiam modo uirtutis et fortitudinis probandae, modo quaestus et lucri faciendi, causa (b) siue ad mortem, siue ad casum saltem alterutrius partis, instituebatur. Atque inde etiam nomen arenarii deriuatur l. 21. §. 2. π. de Testib. l. 38. pr. π. de operis libert. cum pugnaturus cum bestia in arenam intromitteretur, uel in scenam prodiret. Vestigia eiusmodi uenationum in l. 1. §. 6. π. de postul. l. 122. pr. π. de legat. 1. l. 4. π. de Accusat. l. 4. π. de administ. rer. ad ciuit. pertin. Nov. CV. c. 1. reperiuntur, et lacrymosa spectacula uocantur l. ult. Cod. de fer., quoniam hominis uita per eandem periclitabatur. Postea uero quam uita hominis coepit rectius aestimari, id certamen, certe apud gentes cultiores, paulatim in usu esse desit. Neque in orio ciuili et domestica quiete haec cruenta spectacula Imper. Constantino placuerunt, quapropter omnino gladiatores esse prohibuit l. un. Cod. de Gladiator. penit. tollend. In Hispania tamen et Portugallia adhuc delectantur pugna hominum cum tauris, dem Stier-Gefechte, et apud Russos aliquando pro recreatione legatorum exterarum nationum pugna inter rusticos et urfos cicuratos celebrari assolet. (III.) pro adulatoria rei alicuius captatione (c), quando nempe aliquis, praetextu beneuolentiae, uerbis blandis et mellitis, factisque gratis, alium, uelut inescatum, circumuenit ac decipit, quae Venatio nostris Pseudo-Politicis, qui omnibus assentari student, Histrionibus, Caprimulgis et Parasitis, Geld- und Schalks-Narren, admodum frequens est. Excitamus hic praeter ceteros Horatium, quando*

do is de captatoribus, siue heredipetis, uerba faciens, eleganter canit *Lib. 1. Epist. 1. uers. 77.*

*Sunt, qui*

*Crustis et pomis uiduas uenentur auaras.*

Perficitur autem adulatio et captatio ista tribus potissimum modis: *primo*, tribuendo alicui bonum, quod tamen ille non habet, *secundo*, nimium extollendo bonum, quod habet, *tertio*, approbando malum, quod habet. Atque haec tria, scilicet oppressiuae, arenariae, (*d*) et adulatoriae, uenationis genera, ut mala, iniqua, et illicita, ex merito suo improbantur ac reiciuntur. Notabiles de prohibitione extant textus iuris Canonici, ex quibus imprimis legi merentur *can. 59. et 81. caus. 11. qu. 3. can. 7. et 8. dist. 86. can. 2. dist. 46. can. 11. caus. 6. qu. 1.*

(a) Vocatur etiam *Persica* a Persis, utpote qui hanc uenationem, qua mirum in modum delectabantur, in uiuariis, hoc est locis, ubi ferae clausis nemoribus seruantur, et forte etiam a libi, uoluptatis gratia, atque ad explorandum animi corporisque robur, exercebant. Apud ueteres quoque uenatio *Dirptionis* obtinebat, ubi diuersi generis ferae, populo diripiendae, in circum immittebantur, quo super ritu consuli poterit *SALMASIUS ad Probum Vopisci, itemque ad Capitolinum in Gordianis.*

(b) Iure Romano is, qui mercedis gratia in circo feris cum bestiis depugnabat, infamia notabatur, sed ille, qui uirtutis ostendendae, uel uirium experiendarum, causa hoc faciebat sine mercede, infamiae notam non incurrebat, nisi in arena passus fuerit se honorari. Pariter extra arenam congregiens cum fera bestia, quae regioni nocebat, accepta licet pecunia, uel locatis operis, non notabatur *l. i. §. 6. π. de postul. l. 3. π. de his, qui not. infam.*

(c) Quodsi uerbum *uenari* metaphorice pro *soleter quaerere, captare, et ambire*, usurpatur, interdum id exemplo desiderii



et appetitus in *bonam* partem sumitur, uti a Cicerone, qui Atticum laudat, quod patriam relinquit, ut *eo Savarlow* (bonam et facilem mortem) uenetur. Sic etiam utimur phrasi: *Venari laudem modestiae in aliqua re*; interdum autem idem etiam illud in *malam* accipitur partem, quo Imperatoris Iustiniani inuenctua in lenones oratio reducenda est, quod scilicet blanditiis isti, calceamentis et uestimentis, aliisque muneribus, ad corrumpendum animum comparatis, puellas caprent et uenentur, ut eas Constantinopolim perducant. *No v. XIV. princ.*

(d) Diuersa autem fuit a pugna hac arenaria Condemnatio ad bestias. Haec enim annumerata est poenis ultimi supplicii *l. 29. π. de poen. l. 3. §. 5. π. ad L. Corn. de Sicar. l. 9. pr. π. de L. Pomp. de Parricid. et l. 8. π. de L. Corn. de falsis*, et bestiis obiecti certo dilacerabantur, cum ob earum multitudinem pugnae locus esse non posset, ut ideo pro miraculo habeatur, quod Androdus ille Dacus beneficio leonis, quondam hospitis, uinui euaserit *GELLIVS Noct. Attic. Lib. V. Cap. 17.*, quemadmodum etiam singulari protectioni Diuinae conferatio Danielis inter leones merito adscribitur. *DAN. VI. 22.*

## §. II.

*Proprie* sumitur Venatio pro uenatione ferarum (a) bestiarum, in naturali libertate, uel in nullius dominio, existentium. Haec uenatio inter modos acquirendi dominii naturales refertur, et in sensu *generalis*, siue laxiori, omnia ferae indolis animalia, quae in terra, aere et aqua libere uagantur, id est, feras bestias, uolucres, ac pisces, includit *§. 12. 7. de Res. Diuis. l. 1. §. 1. π. de acquir. rer. dom.* In sensu autem *speciali*, siue angustiiori, (b) illa Venatio feras solum terrestres, quae in siluis et saltibus, ac quibusuis locis campestribus, inueniuntur, continet, atque hac ratione ab aucupio (c) et piscatione (d) id est, uolucrum et

et piscium uenationibus, se distinguit, et uenatio speciatim sic dicta, item uulgaris, occupatiua, terrestris, filuestris, saltuosa, campestris, et ferina appellatur. Nos, relicta impropria uenatione, de propria, eaque speciatim sic dicta, in praesenti agere instituemus.

(a) Non itaque eadem ista sese extendit ad animalia domestica et sua natura mansueta, uel cura hominum ita mansuefacta, ut ire et redire soleant, neque etiam ad feras, caueis ac uuariis, uulgo *Hier- Garten* / uel aliis modis inclusas, licet eo in casu, ubi e. g. gallina, anser, ouis, porcusue, faucibus lupi iterum eripitur, quodam quasi uenationis genere recuperari uideatur, l. 44. π. de acquir. rer. donjin.

(b) In sensu denique *strictissimo*, siue angustissimo, Venatio *minores* tantum feras, exclusis *maioribus*, comprehendit.

(c) Hac occasione disquiritur, num Venatio, quae fit falcone, accipitre, et aquila, aucupium sit, uel uenatio? Et utrumque quidem pro ratione diuersi obiecti uerum est. Capiamus enim aliquando falcone etc. grues, ardeas, aliasque aues, et sic aucupamur: aut capimus falcone etc. lepores, et uenamur.

(d) Praecedenti quaestioni affinis est illa, utrum ius luctas uel castores capiendi uenatio sit, an piscatio? Et posterius affirmatur, si modo contraria consuetudo, quae in hac quoque materia utramque paginam facit, non extat. Dictae enim ferae ut plurimum aqua continentur, uel certe in confinio aquarum uagantur. Ergo merito a potiori pro aquatilibus reputandae sunt.

### §. III.

Sunt alii, qui Venationem (a) ferarum per earum *consecrationem*, siue persecutionem, denotant, haud ignari, multa uenatoribus accidere posse, ut nihil

hil capiant, et si nemo negare possit, ipsos uere ceteroquin uenatos esse §. 13. *f. de Rer. Diuis. l. 5. §. 1. π. de acquir. rer. dom.* Huc spectat, quod iactus retis a piscatore, indago a uenatore, (b) et panthera, id est, ipse aucupandi actus, ab aucupe emi possit, atque emtor, licet nihil capiatur, nihilominus pretium praestare debeat *l. 11. §. fin. π. de act. emt. et uend.* Sunt etiam alii, qui Venationem per *occupationem*, siue capturam, aut apprehensionem, explicant, rati, actum a potiori denominandum esse, cum Delia non semper infensa sit, sed interdum uenatoribus offam obiciat. Ita quoque Ictus Paulus negat, uenationem fructus fundi esse, nisi fructus (c) fundi ex uenatione constet. *l. 26. π. de usur.* Nobis Venationem describere placet, quod sit *ius inuestigandi, persequendi, et capiendi, feras terrestres, quae in naturali libertate, uel in nullius dominio, existunt, in siluis, (d) locisque campestribus, utilitatis et recreationis causa (e) constitutum.* Definitionem enim non tam ab actu et euentu uenandi, quam ab aptitudine et potentia uenationem exercendi, desumendam esse, manifesto constat. Vid. *l. 1. §. 2. π. de aqua quotid. et aest.*

- (a) Nonnulli uenatum et uenationem distinguunt, ac uenatum actionem, uel ipsum uenandi actum; uenationem uero praedam, seu praemium eius, hoc est, captas feras, appellant.
- (b) Venatorum genera a non nemine quatuor notantur 1. *inuestigatorum*, qui animalium uestigia inuestigant, *l. 12. §. 12. π. de instr. uel instrum. leg. 2. indicatorum*, qui latibula nouerunt, 3. *insidiatorum*, qui insidias et castes parant, et 4. *alatorum*, qui equo succussante, sensimque insultante, clamoreque, animalia terrent, ne aliorum, quam per medias tendiculas, fugam arripiant.

(c)



(c) Quaeritur, num Venatio sit fructus a natura, uel industria? Et responderetur, ab industria. Plus enim facti atque operae humanae in ea uersatur, quam naturae.

(d) Quanquam siluae appellatio generalis sit, apud Veteres tamen inter *silua*, *lucum*, *saltum*, et *nemus*, discrimen quoddam obseruabatur. *Silua* enim caedua erat, quae, excisa licet, repullulat. *Lucus* autem non erat caeduus, quin potius manu confitus, et religiosus, atque alicui Deo consecratus esset. *Saltus* uocatur uia inuia, nec transeuntibus peruia. *Nemus* denique erat locus amoenitatis et uoluptatis plenus. Porro nota, latum nemus dici *forestum*, quando est sine clausura et sine aqua; *silua*, ubi est flumen; *insulam*, ubi circumdatur aquis; *barchum*, ubi includitur muro uel palis; et *saltum*, ubi raras habet arbores, ubi ferae, uenatores, et canes, bene saliant.

(e) *Primarius* uenationis finis conspicitur in captura ferarum, earumque usu ad uictum et uestitum, siquidem occisi cerui, et eiusmodi ferae plures, pabula hominum fiunt, atque aliis multis uariisque commodis inde fruitur status oeconomicus. *Secundarius* autem est corporis exercitatio et animi delectatio, quae conducit ad firmandam, conseruandamque, ualetudinem. Principes sane, eorumque ministri, per uenationes bellicis assuefiunt laboribus, pro Republica aliquando eo felicitus exantlandis. Etenim uenatio hominem reddit robustum, in rebus arduis audacem, locorum peritum, celerem, equo regendo aptiorem, solertem, ad itinerum difficultates subeundas alacrem, et laborum patientissimum, quippe in ea summo diluculo surgere, equitare, currere, proflire, feras atrocis obseruare, excipere, et iaculo petere, necesse est. Ipsi uenatores uel inde etiam non parum laudis reportant, quod pernocent in niue, et in montibus uri se patiantur, adeoque aestum et frigus, saepe etiam famem, sitimque, perferant, et, quod maximum est, nosmet, nostrasque pecudes, segetes, et uineas, ab impetu et saeuitia, iniuriisque, ferarum protegant; licet non desint, qui eos culpent, quod sint bestiae, in-

B

sidentes

(c)

fidentes bestiis, et manu ducentes bestias, animo bestias capiendi. Sed haec et similia vituperia, non, nisi de abusu, sunt intelligenda. De fine uenationis CICERO *lib. II. de natura Deor.* uerba faciens, ita inquit: *Immanes et feras bellicas nanciscimur uenando, ut et uescamur illis, et exerceamur in uenando ad similitudinem bellicae disciplinae, et ut utamur domitis ac condocentis, multaque ex earum corporibus remedia morbis et uulneribus eligamus.* Alexander M. post prandium diem saepe uenatu consumsit. Pelopedas item Thebanus, uir animi uirtute et corporis robore praecellens, primam militiae suae institutionem a uenationis meditatione accepit. Atque hinc est, quod a multis Venatio uerissima rerum bellicarum meditatio appelleretur, eamque alii quoque Heroës, tanquam peculiare sibi exercitium, semper amplexi sint et excoluerint.

## §. IV.

Ad diuisiones ferinae Venationis quantum attinet, istarum dantur quam plurimae, ita tamen, ut potiores obiecti et formae diuersitas constituat. Diuiditur itaque haec Venatio ratione obiecti et pro diuersitate ferarum (a) in *superiorem* siue *maiolem*, die *hohe Jagd*, *hohe* oder *Haupt: Wild: Bahn*, *Haupt: Wild: Fuhr*, quae est ferarum maiorum, des *Hoch: rothen und hoch: schwarzen groben Wildprets*, *grossen Weidewercks*, ceruorum, aprorum, urforumque; in *mediam*, die *Mittel: Jagd*, ferarum medii generis, ut caprearum, capreolorum, itemque aprorum minorum, *Rehe*, *Frischlinge*; et in *inferiorem*, siue *minorem*, die *Nieder: Jagd*, ferarum minorum, des *kleinen oder niedern Wildprets*, des *kleinen Weide: Wercks*, ut sunt lepores, uulpes, meles, feles, martes, mustelae, et animalia consimilia. Venatio saltuosa porro ratione *modi* et instrumentorum uenandi diuiditur in *clamosam* et *uiolentam*, quae fit cum clamo-

clamore et canibus uenaticis, inflatu cornu uenatorii, et irritatione latratorum ac molossorum, item per scelopeta et uenabula; et in *quietam*, seu placidam et tranquillam, ac *dolosam*, quae sine clamore et canibus, solis laqueis, retibus, cassibus, foueis, pedicis, (b) tendiculis, decipulis, et eiusmodi insidiis aliis, (c) expeditur. l. 28. et l. 29. π. ad L. Aquil. Addimus, quemlibet pro re nata (d) reliqua uenandi genera distinguere, iisdemque nomina imponere, posse.

(a) Distinctio ferarum in maiores, medias, et minores, a sola consuetudine originem sumit, unde consuetudo morum hic praecipue obseruanda est. In Saxonia Electorali rem claram et manifestam habemus, posteaquam peculiari Edicto, die 8. Nou. c. 10 10 cc xvii. promulgato, omnes ac singulae Maioris, Mediae, et Minoris, Venationis species nominatim recensitae fuerunt, uerbis: Nachdem über der *Hohen-Mittel- und Nieder-Jagd*, und was vor Wildpret zu einer ieglichen derselben zu rechnen und zu zehlen sey, bishero ie zuweilen Zweifel vorgefallen, und Wir zu dessen Entscheidung und Vermeidung der sonst hieraus entstehenden Irrungen ein gewisses, worunter ein jedes Wildpret in Zukunft gerechnet werden soll, folgender gestalt:

<i>Hohen-Jagd/</i>	<i>Mittel-Jagd/</i>	<i>Nieder-Jagd/</i>
Bäre,	Rehe-Bocke,	Haafen,
Biermren,	Rehe,	Füchse,
Junge Bäre,	Rehe-Kälber,	Dachse,
Hirsche,	Hauende Schweine,	Wieber,
Stücken Wild,	Angehende Schweine,	Fisch-Otter,
Wilds-Kälber,	Keyler,	Marder,
Tann-Hirsche,	Bachen,	Wilde Katzen,
Tann-Wild,	Frischlinge,	Esthieren,
Tann-Wilds-	Wölffe,	Eichhörner,
Kälber,	Birk-Hähne,	Wiesel,

B 2

Hohen

Hobe Jagd /	Mittel Jagd /	Nieder Jagd /
Luchse, Schwanen, Trappen, Kranische, Auer-Hähne, Auer-Hüner, Wafan-Hähne, Wafan-Hüner, Vocken,	Hafel-Hüner, Große Brach Vogel.	Hamster, Schneppen, Diepphüner, Wilde Gänse, Wilde Enten, Reyher, Teicher, Eemeben, Wasser-Hüner, Wasser-Schneppen, Wilde Tauben, Giebige, Wachteln, Kleine Brach Vogel Ziemer, Schnarren, Amfeln, Druffeln, Perchen / und Anderer kleine Vogel, wie sie Nahmen haben mögen.

zu determiniren veranlasset worden zc. Als wird ein solches vermittelst dieses gedruckten Patents jedermänniglich, besonders aber denenjenigen, die die Jagden auf ein oder andere Art zu exerciren befugt sind, kund gemacht, damit sich ein jeder darnach richten, und vor Ungelegenheit, auch ernstliche Bestrafung, hüten könne zc.

- (b) Vbi uero homines, uel pecudes, transire consueverunt, ibi fossas in capturam ferarum, nostratibus Wolff- oder Fuchß-Gruben, neque in proprio fundo facere licet, neque etiam decipulae, uel pedicae, uulgo Schleiffen oder Selbstschüße, poni poterunt, Conf. l. 23. et l. 29. pr. n. ad L. Aquil.

(c)

(c) Americani in Florida, quibus alia praeter arcus instrumenta uix supperunt, admodum ingenioso insidiarum genere ferarum circumuenire solent. Maximorum nempe Ceruorum, quos unquam ceperunt, exuuiis sese induunt, easque sibi tam concinne aptant, ut per oculorum foramina perspicere possint. Ita uero personati, Ceruos, qui tales homines minime formidant, quippe sui similes esse credunt, quam proxime accedunt, praesertim, cum potatum ueniunt, eosque incautos sagitta transfodiunt THEOD. à BRV. in *Descript. Amer. P. II. fig. 25.*

(d) Diuiditur etiam Venatio ratione causae efficientis in *gratuitam et onerosam*; in *uniuersalem*, siue *absolutam*, et *particularem*, siue *limitatam*, id est, ad certum genus ferarum, uel ad certum genus instrumentorum, uenationi inferuentium, restrictam, et sub conditione, uel certo tempore, concessam; ubi existente conditione, elapsoque tempore, finitur; item in illam, quae cum iurisdictione forestali, uel siluatica, et eam, quae sine ista conceditur. Venatio porro a subiecto diuiditur in *realem*, et *personalem*, id est fundo uel personae cohaerentem, hac tamen cum cautela, quod posterior, uel quoad durationem, uel quoad solius personae usum et commoditatem, talis sit. Vterius Venatio ratione temporis distinguitur in *ordinariam*, quae instituitur, quando ceruus, uel aper, opimus est, et *extraordinariam* quae aliis etiam anni temporibus ob necessitatem, uel uoluptatem, peragitur; in *perpetuam* et *temporariam*, in *tempestiuam* et *intempestiuam*. u. *Landes R. L. II. art. 61.* Insuper etiam Venatio respectu loci diuiditur in *siluestrem*, quae in siluis, ubi iustra ferarum plerumque semper existunt, et in *non-siluestrem*, quae in *lasiuandis*, ubi praecipue minores ferae habentur, peragitur. Tandem ratione effectus Venatio in *frustraneam* et *effectiuam* diuiditur.

## §. V.

Iste sigillatim uenandi Modus, de quo nos iam exponere constituimus, uulgo dicitur die Klapper-Jagd, atque ingenti cum fragore ac strepitu peragi solet. Ad hunc enim solemniter instruendum congregatur hominum, canumque, multitudo, uociferantur homines, incitantur canes uenatici, inflantur cornua uenatoria, concutiuntur singulae arbores, exploduntur bombardae, ac turbis ita miscentur omnia, ut omnes ferae latibulis excutiantur, certumque in locum compulsae, capiantur, et occidantur. Alia autem methodo hoc uenandi genus in locis planis, alia in montibus, et iterum diuersa in siluis instituitur. Quo super negotio artis uenatoriae periti potius, quam quidem iuris cultores, consuli merebuntur. Nobis tantum in animo est, de eo, quod circa talem uenandi modum (a) iustum et aequum (b) esse uideatur, strictim atque paucis commentari.

(a) Circa omnem uero uenandi modum communiter quatuor notari solent, 1.) ut quis hoc iure utatur moderate, ne per ferarum multitudinem, uel intempestiuam illarum uenationem, uel alio modo, messibus, segetibus, reliquisque fructibus, damnum inferatur. 2.) ne nimis frequentes et immoderate subditis operae imponantur, quas dum illi praestare coguntur, quibusuis se, suosque, alendi medijs priuantur. Ita Barnabas, Vice-Comes, inexpiabile populi odium in se concitasse perhibetur, quod, tanto uenationis studio detentus, per pagos, uenationibus opportunos, multa millia canum cum grauissimo incolarum sumtu alenda et curanda diuiserat Iovius in *Barnab.* 3.) ne propter immodicum uenandi studium necessaria posthabeantur uel negligantur, l. 6. C. de *Excusat. mun.* De Michridate, Ponti Rege, referunt Scriptores, quod

quod uenationibus adeo intentus fuerit, ut aliquando septem annis neque urbis, neque ruris, tecto usus, inter silvas quasi errandus uagatus fuerit, et, ut fors ei praebeuit occasionem, diuersis regionis montibus pernocrarit, ignaris omnibus, ubi locoram esset. HIPPOL. a COLLIB. in *Principe*, cap. 27. 4.) ut uenationi, cuiuscunque illa demum sit generis, sic indulgeamus, ne, quod multis usu euenit, aureo nos piscatum hamo doleamus, aut cum canibus opes nobis currisse, cum accipitre nero auolasse, conqueramur.

(b) In Saxonia Electorali Dicasteriis cognitio causarum uenationum et forestalium plane adempta est Mandato d. 6. April. 1700 Ioc. XII. uerbis: Wir begehren auf beygefügetes Unserer sämtlichen Hoff- und Land- Jäger- Meister un- terthänigstes Suchen hiermit gnädigt, Ihr wollet euch aller ferneren Cognition in Unseren Jagd- und Forst- Sachen ganz und gar enthalten. Davan geschieht Unser Wille und Meinung zc. Id quod tamen de huiusmodi licibus priuatorum inter se ob adiectam uocem restrictiuam: Unseren: intelligi nequit.

## §. VI.

Iure Romano omnibus ac singulis uenari licitum erat, etiam in fundo alieno, salua tamen domino, qui fundum ingredi prohibebat, actione iniuriarum et Legis Aquiliae contra ingredientem. Ingressus autem contra prohibitionem, quicquid ceperat, retinebat, et suum faciebat, neque capi, neque detineri poterat, ut feras captas restitueret. §. 12. *f. de Rer. Diuis.* l. 3. §. 1. *π. de acquir. rer. domin.* l. 13. §. ult. *π. de Iniur.* Hodierno autem iure Venatio inter Regalia (a) locum inuenit, atque Electoribus, Principibus, et reliquis Imperii nostri Statibus, ui superioritatis territorialis tribuitur, ita, ut ne quidem in fundo proprio subditis (b) uenari permissum sit, praeterquam si ius uenandi

nandi a Domino territorii uel *expresse*, per inuestituram, (c) eamque siue principalem, siue accessoriam, uel *tacite*, per praescriptionem immemoriam, (d) obtinuerit. Concedentis igitur Principis potestati et arbitrio (e) relictum est, quem iuris uenandi, tanquam beneficii sui, modum in territorio suo esse uelit, ac iubeat *l. 191. r. de Regg. iur.* Atque immemoriam praescriptionem tantum iuris circa uenationem acquisitum censetur, quantum quis per eiusmodi temporis spatium quiete possedit, uel exercuit (f). Praeterea nemo dubitabit, quin Princeps, uel illi, qui gubernacula Reipublicae tenent, uenationem, uulgo dictam *Slapper-Jagd*, prohibere queant.

- (a) Contra Principem hoc loco disputare, superuacani laboris aucupium et uenatio, uel idem esset, ac si uenari apros in mari uellemus, siquidem oleum atque opera omnis frustra impendenda essent. Ex multis interim uariisque rationibus, quas Doctores pro Principe uulgo allegant, sequentes speciatim seligi possunt, quod scilicet publicae tranquillitatis causa usus armorum, sine quo Venatio ferarum, praecipue maiorum, commode fieri nequit, priuatis interdictus sit, ac iuste metuendum, ne illi studio uenandi ab artificii et agricultura auocentur, et propter abusum, aut promiscuum saltem usum, species ferarum plane tandem deficiant, aut intereant, adeoque Princeps ex iustissima causa publica etiam ius quaesitum auferre queat, neque inconueniens sit, ut Princeps insigni praerogatiua gaudeat, Ipsique propter molestias, quas in gubernatione sustinet, uenatio recreationis causa relinquatur, cum praesertim communis uenatio, ut aliarum rerum communio, non tantum in proprio, sed uel maxime alieno in fundo, ansam et materiam rixandi, iniuriandi, offendendi, et saepius interficiendi, tumultum seditionemque excitandi, et consequenter pacem publicam uiolandi, praebet. Addimus loca Sacrae Scripturae apud *Ierem. XXVII. 6. et XXXIII. 14. Daniel. II. 38.* (b)



- (b) De diris et nociuis feris, ut sunt leones, pantherae, tigres, ursi, lupi, uulpes, feles, aliaeque istius generis bestiae, quae secundam diuersitatem locorum et regionum nascuntur, forte dubitare licet, annon illarum inuestigatio subditis libera relinqui debeat? Verum enim uero, cum ab usu et hic abusu uix summo ueri queat, et fieri propemodum non possit, quin saepius subditi hoc colore abutantur, et sub hoc praetextu feris, etiam non nociuis, insidias struant, hinc illis id hodie non permittitur. Quodsi tamen lupus rustico forte fiat obuius, tum non solum licitum ipsi est, bestiam trucidare, sed etiam praemium accipere solet, quando postea illum ad magistratum derulerit. Notari merentur, quae in Saxonia Electorali Mandato d. 8. Nou. 1700. de Lupis disposita sunt, uerbis: Mit denen Wölffen aber also gehalten wissen wollen, daß solche nicht nur von einem jedwedem, der die Jagden hat, wenn er auch nur mit der Nieder-Jagd allein befehden, gefallen, sondern auch dem, so einen Wölff-Balg in die Wild-Neijerey, worunter die Restere einbezicket, einfiefert, jederzeit allda Zwene Thaler Zwölff Groschen zur Ergöglichkeit gerechet werden sollen, &c. Ita etiam ubique fere locorum multelis et maribus, aliique eius generis animalibus rapacibus minoribus, impune insidiari licet, si intra septa uillarum ac domorum praedatum ueniunt.
- (c) Sunt tamen et alii modi uenationem acquirendi, uelut est emtio, permutatio, donatio, pactio, testamentum etc.
- (d) Tempus enim immemorabile uim iuris constituit et priuilegii, diserte concessi, obtinet *l. 3. §. 4. ff. de aqua quotid. et aest.* et loco tituli legitime acquisiti est, imo ueritati comparatur, et pro ueritate habetur.
- (e) Et eam quidem ob causam Venatio, a Principe concessa, stricti iuris est, et strictae interpretationis. Quodsi igitur simpliciter concessa sit uenatio, minor duntaxat indulgetur; sicuti etiam, maiori uenatione concessa, minor uenatio tacite concessa non creditur, cum uenatio ferarum maiorum, et minorum, diuersae prorsus ac separatae species sint, atque adeo ab una ad alteram firmiter concludi nequeat.



queat. Concessa insuper uenatione maioris notae, des ro-  
fhen und schwarzen Wildprets, nequaquam ursina, die Bär-  
ren Jagd, etiam putanda est permissa, quia haec uenatio  
non est de genere specierum permissarum, sed separata omni-  
no species est. Quodsi porro concessum sit, nach Füchsen  
und Hasen zu richten, zu baissen und zu lauffen, non simul  
concessum uidetur, einen Fuchs oder Hasen mit Biechsen zu  
schieffen. Vbicunque enim diuersa est ratio, ibi etiam di-  
uerso iure utimur. In his autem diuersam occurrere ratio-  
nem, exinde constat, quia ferae sonitu bombardarum uehe-  
menter terrentur et fugantur, quod in illis modis non obti-  
net.

(f) Ergo si ex praescriptione hoc ius uenandi oritur, et praes-  
scribentes in actu uenationis certis solum uenandi instrumen-  
tis semper usi fuerint, puta decipulis uel retibus, post imple-  
tam praescriptionem aliis instrumentis, ut sunt canes, falco-  
nes, etc. uenari nequeunt. Et si quis nunquam antea tormen-  
tis usus fuerit, a tormentis quoque absteineat, necessum est. Si-  
mitem in modum praescriptum ius ceruos uenandi non in-  
uoluit praescriptionem iuris apros uenandi, et uice uersa. Neque  
ab exercitio iuris uenandi in parte siluae ad totam siluam recte  
concluditur. Illud demum hic praetermitti non debet, quod,  
praescripta possessione, non statim censetur praescribens ius ha-  
bere, ut solus ibi uenetur, cum diuersa plane sit possessio iu-  
ris alicuius a possessione prohibitionis, et ut alterum impedi-  
re liceat, eodem iure successiue uti. Materia enim praescri-  
ptionis omnino stricti iuris est, nec de similibus ad similia,  
multo minus ad disparia, extendi debet, et plus nunquam  
censetur praescriptum, quam fuit possessum.

### §. VII.

Vbi autem locorum per legem publicam haec  
Venatio, uulgo dicta Klapper Jagd, prorsus interdi-  
cta

ta est, nullaque possessionis contrariae ratio haberi debet: ibi lis, super hac re orta, facile dirimi potest, dum leges scriptas seruare, et secundum eas in foro pronuntiare, oportet. Idem obtinet, si inueterata, contradictoque iudicio firmata, consuetudo, utpote quae pro iure et lege non immerito custoditur, l. 32. §. 1. et l. 34. ff. de LL. eiusmodi uenationem improbet, uel etiam inter eos, quorum interest, ita pactum et conuentum, ut ab illa uenatione abstinendum sit. Verum de hisce quidem casibus nobis iam sermo non est, utpote qui causas potius controuersas supponimus, in quibus lex scripta, consuetudo, et conuentiones (a) deficient, adeoque ipsa res litigiosa ex recta uenandi ratione et aequitate naturali, haud neglecto artificum consilio, decidenda uenit.

(a) RVTGER RVLANDVS de Commiss. P. IV. l. 2. c. 3. n. 2. commemorat, se nescire, an ex ulla alia materia ferrilior seges, quam ex hac, in Camera Imperiali proveniat, immo eam esse ralem Aduocatis Cameralibus, qualis materia substitutionum Italis IureConsultis, ex qua Baldus uel consulendo tantum ultra <sup>m</sup> Ducatorum acquisiuisse, alicubi testatur. Quo igitur

lites, hinc propullantes, amputentur, saepius amicabili compositione res transigitur.

### §. VIII.

Quod itaque ad rectam uenandi rationem et aequitatem naturalem attinet, ea omnino suadet, postulat ac iubet, imo omnes uenatoriae constitutiones id ipsum intendunt, ut bannus ferinus, (a) quoad eius fieri potest, conseruetur, nec, feris penitus extirpatis, plane deuasetur. Quare intra certum anni tempus, plerunque a Vigilia Quadragesimae, uel post

C 2

Baccha-

Bacchanalia, usque ad diem Bartholomaei ueteris stili, (b) uenari non licet, ut commodum suppeditetur spatium geniturae. (c) In Frisia tertio quolibet anno uniuersa uenatio prohibita est, praeterquam in siluis, sub poena decem Carolinorum, et plures una die lepores, quam tres, (d) capere haud permittitur, atque ibidem uenditio ferarum nobilium, et inprimis exportatio e finibus prouinciae, sub poena centum florenorum interdicta legitur, *HVBER Praelect. ad Pand. Lib. XLI. Tit. I. §. 5.* Sic etiam uetitum, ne occidantur ferae, quando foetum (e) gerunt, uel paulo ante enixae sunt. Pariter ferae capi prohibentur, praeterquam si ad iustam aetatem et mensuram excreuerint, atque infra illam captas dimittere, et priori libertati suae restituere, oportet. Denique ad extremum est cautum, ne insidiae feris struantur modis non legitimis, nec permillis. (f) Ita, licet rusticis non denegandum, ut agros suos sepibus et palis muniant, aut feras canibus abigant, ne illae in agros ipsorum excurrant, et sata fructusque depascantur; tamen hic nulla fraus committenda, nec pali nimium acuminandi, ut ferae transilientes, uel transcendere intendentes, transfigi possint. Canes (g) etiam robustiores, aut uenatici, qui feras assequi ualent, non sunt alendi, uel, ubi assidui et pecuarii canes tolerantur, ne illorum insultu ferae diffugiant, suites eis appendi, aut crura frangi, debent, quo minus celeriter currere, ferasque insequi, ualeant. Hinc quoque omnia istius modi media, quibus ferae libero intercluduntur meatu, uel utro citroque ire impediuntur, (h) et in alienum fugantur territorium, inter illicita uenandi genera merito referuntur. Porro ne bombardarum (i) sonitu

sonitu ferae in fugam coniciantur, multis in locis prohibitum est, ne quis absque urgente causa, uel necessitate, (k) globum in ea silua emittat, seu bombardam exerceat, atque ita feras per grauiorem bombardae sonum in alias siluas abigat, multo minus ibi uenia datur, ut homines iaculis exercitentur. Receptum etiam est, ut Dominus siluae (l) in damnum eius, qui iure uenandi gaudet, cunctas arbores extirpare, multasue succidere, omnesque fructus colligere, nequeat, quia alioqui ferae aut aufugerent, aut interirent. Neque etiam integrum domino est, ut ex silua, in qua alter ius uenandi exercet, agrum noualem efficiat, siquidem haec ipsi ius tantum permillum est, ut moderate silua utatur, torque arbores caedat, quot ad necessitatem requiruntur, ne scilicet domino proprietas plane inutilis sit. Eodem modo dominus poterit glandem legere, ita tamen, ut aliquid ex eadem relinquatur, unde ferae se sustentare queant. Haec ita exempli causa adduxisse, sufficiant. Vnicuique ceteroquin, ut patriae suae, aliarumque Regionum et Prouinciarum, mores, placita et praescripta, diligenter conferat, commendamus.

(a) Bannus *ferinus*, siue serarum, latius patet, quam *siluestris*. Posterius enim uocabulum angustius est, et respectum tantum inuoluit ad siluas ac nemora, non autem ad prata et agros, in quibus etiam uenatio exercetur.

(b) Quodnam uenationis tempus, recognito Calendario, in Saxonia Electorali definitum sit, ex Mandro, d. XX. Septembr. 1703. promulgato, patet, uerbis: Daß mit denen hohen Jagden, die sonst nach der alten Zeit jedesmahl von Pfingsten angegangen, auf den ersten Sonntag nach Trinitatis, und mit denenjenigen, so besonders auf Johannis

